

amore saltem formidine poenae ab hiis quae eorum statui non conveniunt absterneant, ac alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod de coetere post trimestre a die publicationis praesentium computandum, tam coniugati quam alii dicti Domini clerici etiam ad minores ordines promoti non beneficiati nec in sacris ordinibus constituti, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, privilegio clericali in criminalibus duntaxat gaudere nequeant, sed tales clericali caractere insigniti ac in minoribus ordinibus constituti non beneficiati et alii qui aetatis legitima ad ordines sacros suscipiendos si ordinem sacrum non susceperint delinquentes pro tempore per iudices seculares capi inquiri et juxta eorum demerita omnibus poenis, quibus mere laici delinquentes de jure puniri deberent, libere et licite puniri possint, nec se sub pretextu privilegii clericalis tueri et defendere et ad curiam ecclesiasticam recurrere valeant. Et ne clerici ipsi eo quod trina monitione moniti non fuerint, aliquam excusationem praetendere aut allegare valeant, quod praesentes litterae singulis annis in aliqua solemni festivitate saltem semel duntaxat per locorum Ordinarios, seu (si Ordinarii ipsi absentes fuerint) alios in dignitate ecclesiastica constitutos, in Cathedralibus etiam metropolitanis et collegiatis seu principalibus locorum Domini huiusmodi ecclesiis, publice etiam materno et vulgari sermone ad hoc ut ab omnibus etiam idiotis intelligi possint legi et publicari debeant, et sic facta publicatio vim trinae monitionis a jure requisitae habeat et habere censeatur, ac omnes et singulos aretet, ac si trina monitione moniti fuissent. Ac non publicantes a iudicibus saecularibus requisiti a perceptione fructuum, reddituum et proventuum, dignitatum ecclesiasticarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, eo ipso suspendi existant. Distrius inhiibentes locorum Ordinariis et aliis personis ecclesiasticis, ne contra statutum et ordinationem huiusmodi directe vel indirecte venire quoquomodo praesumant. Ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quo-

rumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae ad hoc volumus cuiquam nullatenus suffragari, coeterisque contrariis quibuscumque. Per hoc autem eidem privilegio quoad alios qui ipsam clericalem militiam honeste et efficaciter prosequuntur, non intendimus in aliquo derogare. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca in quibus expediens foret deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel Curiae ecclesiasticae eadem prorsus in iudicio et extra ubilibet fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae statuti, ordinationis, inhibitionis, voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datæ Bononiae. Anno Incarnationis Domini-
cae Millesimo quingentesimo vigesimo nono, tertio
Idus Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

<i>C.</i>	<i>C. Jacobat</i>
<i>A. De Carboniano.</i>	<i>Jo. Curtius.</i>
<i>B. Cunixu.</i>	<i>N. de miniatis.</i>
	<i>Pp. Puccio.</i>
	<i>D. Centurionus.</i>
	<i>N. Richardus.</i>
<i>A. Cave.</i>	
<i>B. Severolus.</i>	

Quas quidem litteras, ad requisitionem Serenissimi Principis et Domini Domini Andrea Gritti Ducis et Illustrissimi Domini Venetorum in supradictis litteris nominatorum, per dilectum nobis in Cristo Dominum Robertum Magium brevium Apostolicorum scriptorem, secretarium et notarium nostrum, infrascriptum exemplari et in publicam formam redigi mandavimus, decernentes ut huic praesenti transumpti instrumento, sive publico exemplo, plena fides in futurum ubique adhibeatur, ipsumque transumptum in omnibus fidem faciat, ac illi stetur perinde ac si ipsae originales litterae apparerent. Quibus omnibus et singulis